

Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiae, Sive Decisivi Discursus

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque
omnibus in utroque Foro ...

Pars I. De Testamentis, Codicillis, & ultimis voluntatibus. Pars II. De
Hærede, & Hæreditate. Pars III. De Legitima Trebellianica, & aliis
Detractionibus

**Luca, Giovanni Battista de
Coloniae Agrippinae, 1690**

Disc. XXVI. Romana testamenti de Monaldensisbus. De testamento inter
liberos, quibus solemnitatibus subjaceat; Et quid ad ejus perfectionem, ac
validitatem exigat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74043](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-74043)

minus probabili), ut in dubio præsumptio sit, quod clericus in ejus successione, potius juris communis, quam statutarii ordinem servari voluerit; Attamen ista est simplex præsumptio juris, qua per contrariam probationem etiam præsumptivam, vel adminiculativam cessa; Ideoque ubi parochus, & duos testes testamentarii, ac alii testes extrinseci, nec non actus, qui altera die præcesserant, non sufficerent ad concludendum testamentum juxta dictam formam ad favorem extranei, atque ad faciendum celare ordinem intellectu successioni; Attamen absolum mihi videbatur, ut superabundarent ad hunc effectum, ut intrare posset intestata successio juxta ordinem Statuti, cum quo (sublata contraria presumptione) constat, quod testator se conformare voluerit; Ideoque meus intellectus percipere non poterat quomodo istud motuum neglectum sit.

Et nihilominus, ubi etiam agendum esset de substituendo testamentum, adhuc mihi videbatur quod, dictis exceptionibus non obstantibus, probationes abundarent; Quamvis etenim aliquorum sensus fuerit, ut *text. in d. cap. cum esses* inducat formam præcisam; Attamen prorsus erronea est haec opinio, cum verius sit ut inducat formam probatoria, ut, alios cumulando, probat *Boss. loco supra tit. cod. iii. §. 7. n. 61.* Idque observabam ad evidentiam probari ex triplici demonstratione.

Primò scilicet, quod textus contentatur presbytero suo, & duabus aliis personis idoneis, & tamen ex communi, ac recepto sensu DD. etiam sine parrocho sufficiunt quatuor testes, quasi quod iste major numerus suppletat qualitatem, seu majorem fidem, quia parroco præfanda est: Ergo non est forma solemnis, ac præcisa, quoniam si ita esset, deberet per necessitatem desiderari interventus parochi, sine quo tamen sufficiunt quatuor testes simplices ex originali doctrina *Speculat. in tit. de Instrum. Edit. §. 12. n. 12.* & scribentes communiter in eodem cap. *cum esses*, ubi praesertim *Abb. num. 7. & Fagnan. n. 59. Dec. consil. 28. sen. 284. num. 7. cum seq. Magdal. de numer. test. par. 2. cap. 8. num. 9. & 10. Cavaler. decis. 497. n. 2. & communiter.*

Secundò, quia tamen desiderari deberet per necessitatem interventus parochi, & tamen receptum est, ut sufficiat confessarius ordinarius, non tamen accidentalis, ut declaravit *Rota in Aesina bonorum 31. Martii 1659. coram Verospio*; ut per *Magdal. dicto cap. 8. num. 5. Capyc. Latr. decis. 12. Rovit. decis. 95. Ottob. decis. 45 dicta Imolen. successio coram Cerro, & in dicta Aesina, ac in aliis collectis per Rub. de testamen. cap. 35.*

Et tertio, quoniam ipsa Decretalis, expresse damnando id, quod per leges humanas statutum est, & quæ tunc de recenti reperte, atque usu recipi coepit, juxta historiam legalem, de qua *sub tit. de servit. disc. i. dubitandi anfan. præbeat;* Assigurationem Divini oraculi, quod in ore duorum, vel trium stat omne verbum; Itaque ratione attenta, indubitate est, ut forma sit probatoria, non autem solemnis; Adeo ut *Bur. super hac decretali, credat, ut neque dictus numerus sit necessarius, eo quia Papa contra Divinum oraculum statuere non valeat;* Et quamvis ista sit opinio singularis, & non habeat sequaces; Attamen ut advertitur supra *disc. 6. & latè expendit Fagnan. eod. cap. cum esses num. 55. & seqq.* id provenit ratione subjectæ materiæ, ob maiorem suspicionem, ob quam major desideratur probatio; Igitur firmum remanet, illam esse formam probatoria, ideoque leguleicam inceptiam esse, desuper certam uniformem, ac generalem regulam statuere; Non quidem ut minor numerus

sufficiat, dum ita majores nostri receperunt, sed posito numero, ut circa maiorem, vel minorem fidem testibus præstandam, facti circumstantie, atque ratio, majoris, vel minoris suspicionis, totum regulare debeant; Ideoque licet magis communiter nostri teneant, ut etiam in hac testandi forma, feminæ non sint testes idonei, ex relatis per *Fagnan. ibid. num. 36.* Attamen, id rectè procedit ubi sine solum duo cum parocco, vel quatuor in totum, secus autem si alia accedat suppletio, ut de feminis *Rot. decis. 116. num. 15. par. 6. recen.* cum aliis collectis per *Boss. d. tit. 13. §. 5. num. 52.*

Declaratio autem admisla in dicta *Aesina bonorum 31. Maii 1659. coram Verospio*, confirmata *6. Ianuarii 1660.* ut hæc forma testandi admittenda sit solum in infirmo, non autem in eo, qui in statu salutis testetur, ex auctoritate *Gnid. Pap. decis. 543. num. 11. & 12. & Cened. collectan. 159. num. 7.* cum quo pertransit *Barbos. in collectan. ad eundem cap. cum esses num. 8.* Nullo pacto videtur vera, quoniam licet *text.* in ea casus figuratione supponat, quod ille testator esset graviter infirmus, attamen non est ea ratio resolutionis, sed altera dicti oraculi Divini, idque enunciatur quoniam ita casus præbeat, ut latè istam opinionem reprobando, probant *Fagnan. in dicto cap. cum esses num. 68. & seqq. Rubeus de testam. cap. 33. num. 50 & seqq. Boss. dicto tom. 3. moral. tit. 13. §. 1. numer. 6.*

Ac etiam quia, cum juxta dictam historiam legum civilium; inventio de recenti sequuta esset inter annum 1530 & 1540, atque ut *eodem disc. i. de servit. advertit.* dictarum Legum usus ex quodam decreto Imperiali quoque demandatus fuerit; Hinc proinde Pontifex *Alexand. III. pafatæ decretalis Auctor*, creatus de anno 1559, atque defunctus circa annum 1580, & sic circa ea tempora, vel proxima, nè in terris Ecclesiæ datur aditus, ut Imperator, ipsi Pontifici, & Ecclesiæ infensus (ut *chronica* nimium docent) auctoritate exerceret, ita indefinitè cavit, ut non cum hujusmodi legibus, sed cum oraculo Divino procedi deberet; Igitur omnibus his attentis, omnino improbabili, nullique fundamento innixa videtur dicta restrictio.

Non improbabiliter altera, de qua *in eadem decisione Aesina*, ut non sufficiat quilibet confessarius accidentalis, vel adventitius, sed debeat esse ordinarius, tanquam subrogatus loco parochi, dum Decretalis ponderat, ut sit presbyter suus; Cumque communis schola Doctorum ut *supra*, etiam sine parroco, vel confessario admittat quatuor testes, hinc proinde spectato fine, seu ratione, pro fæti qualitate, idem quoque intelligendum isto casu videtur, ut æquipollens nempe sufficiat, juxta facti circumstantias.

ROMANA TESTAMENTI DE MONALDENSIbus PRO CAFARELLIS CUM CREDITORIBUS PATRIMONII MONALDENSIS.

Responsum pro veritate.

De testamento inter liberos, quibus
solemnita-

*De LUCA
de
Malandensis
et al.
GVT*

solemnitatibus subjaceat, Et quid ad ejus perfectionem, ac validitatem exigat.

SUMMARIUM.

- 1 Acti series.
- 2 De recognitione schedula testamentaria per testes habentes notam manum.
- 3 De statuto exclusivo fæminarum.
- 4 Testis pubes deponere potest de iis, quia vidit tempore pupillaris etatis.
- 5 De adminiculis super recognitione.
- 6 Imperfetto voluntatis cedit etiam in testamento inter liberos, & ad prias causas, & num. 15.
- 7 Schedula sine testibus sufficit.
- 8 Quæstiones cadentes super hoc testamento inter liberos sunt etiam facti.
- 9 Ex quibus desumatur perfectio voluntatis.
- 10 Ex observantia desertur scripture etiam informi testamenti.
- 11 De actibus denotantibus observantiam.
- 12 Possessor refertur ad causam licitam.
- 13 De aliis adminiculis.
- 14 De alio casu in eadem materia testamenti inter liberos.
- 15 De eadem conclusione, de qua num. 6.
- 16 Privilegium testamenti inter liberos non est retorquendum.
- 17 Et an procedat inter eosdem, cum quibus in aequaliter est dispositum.

DISC. XXVI.

Postquam, cum præsupposito mortis Alexandri Monaldensis ab intestato, habitæ fuerunt in Congregatione Baronum disputationes, de quibus habetur actum sub it. de feudi ad materiam Bulla Baronum disc. 77. cum plur. seqq. detecta fuit quædam schedula testamentaria inter ejusdem Alexandri scripturas remansæ, ab ejus fiducario conscripta, ab ipso vero subscripta, atque septem ejus sigilli imprimis omnibus munita, in qua, serio, ac expreßè dicitur, ut quamvis esset in ea forma privata scripture, valere tamen deberet tanquam validum, ac perfectum testamentum, perinde, ac si ad publicam formam redactum esset; Et in qua schedula, scripto hærede Nicolao filio ex prima uxore, ac etiam altero filio procreando ex ventre prægnante secunda uxoris, quatenus esset masculus, in eventum quod esset foemina, mandavit vocari debere Angelicam, cique, (ubi carnaliter nuberet), reliquit eamdem summam scutorum 30. m. quam, ut ex supra allegatis locis patet, dictus Nicolaus frater in eius testamento poltea eidem reliquit; Quare ita cessantibus omnibus difficultibus, quæ vigebant in casu dicti præsuppositi intestatus mortis Alexandri, dum stante hoc legato, Angelica hypothecam legalem pro legato competentem trahebat usque a tempore mortis testatoris sequuta de anno 1623, atque ita excludebat omnes intermedios Nicolai fratris credidores, quibus dictum legatum ab ipso Nicolao factum prædicare non poterat, ex ibi deducetis; Hinc proinde, in congregatis habitis pro veritate, juxta laudabilem stylum habitus desuper fuit.

Duæ autem erant inspectiones; Primo scilicet in facto super recognitione dictæ subscriptionis, ac signorum facta per duos testes habentes notam manum; Et secundo in jure, an scilicet, posita etiam

sufficienti recognitione, dicta schedula sufficeret, necne.

Quoad primam, deducebam eadem quæ, de Curia stylo, deducta habentur supra disc. 6. super sufficienti recognitione hujusmodi schedularum, etiam per testes habentes notam manū; Eaq; fortius procedere dicebam in hac facti specie, quam in illa, dum in præsenti dispositio habebat verisimilitudinis assistantiam, disponendo id, quod disponit Statutum Urbis, quod conformat antiquorum Romanorum, ac Italiæ moribus, juxta ea, quæ habentur in Tudertina disc. precedent. ac in sua materia sub tit. de succession.; Ad eo ut testator ita prudenter dirimere voluerit dubitationem, quæ (pro meo tamen sensu male), habetur super distinctione bonorum intrâ, vel extrâ territoriorum statuens, cum è converso in dicto alio casu, de quo disc. 1. potius urgeret verisimilitudinis resistentia.

Et quanvis unus ex dictis testibus, facto calculo etatis, adhuc esset impubes de tempore mortis dicti Alexandri; Non tamen videbatur objectum considerable, quoniam cum ageretur de materia mixta pendente, partim à iudicio intellectus, magis vero à sensu corporis, eo quia vidisset plures dictum Alexandrum scribere, atque characteris notitiam acquisivisset; Hinc proinde dicebam intrare conclusionem, quod testis post pubertatem deponere potest de iis, quæ vidit, vel sive tempore pupillaris etatis, ubi præsertim id percutit tempus proximum pubertati, gloss. in l. 3. §. Italia ff. de testib. ubi Bart. num. 2. Mascal. de probat. conclus. 1247. n. 11. cum seqq. plenè Farinac. de test. quæst. 48. numer. 53. cum sequen. Rot. decr. 220. num. 7. & 8. par. 2. divers. & decr. 75. num. 9. par. 10. recent.

Et nihilominus si quæ exinde resultaret exceptio, quæ præfati testis fidem minueret, adhuc tamen dupliciter nimium de facili hujusmodi receptionem suppleri dicebam; Primo scil. cumulando aliam recognitionis speciem in jure magis cognitam per comparationem cum aliis scripturis certis, ut in specie Rot. apud Buratt. decr. 475. num. 6. cum aliis deducetis eodem disc. 6. Et secundò clarissima accidentibus adminiculis, que infra ponderantur circa perfectiōnem voluntatis, ex pariter vera, & recepta conclusione, quod testes aliquas exceptions patientes supplentur per adminicula, ex deducetis per Farinac. de test. quæst. 62. num. 335. & sequen. & habetur plures in sua probationem materia sub tit. de iudicio; Unde propterea ex adminiculis præsertim ista prima ma inspectio videbatur plana.

Quo vero ad alteram inspectionem, nulla cedebat dubitatio, ut posita perfectione voluntatis, quia nempe dicta schedula subscripta, & signata fuisset, cum determinato animo testandi, ad cuius actum devenit esse, illa sufficeret, quamvis nullo teste munita esset; Ut enim in præcedentibus advertitur in proposito testamenti ad prius causas, præsertim disc. 14. difficultas, quæ in aliquorum sensu in ea testamentaria specie cadit circa necessitatem testium, resultat à dispositione tex. in cap. relatum de testam. per quem juxta Divinū oraculum, saltim duo testes desiderari videntur; Et tamen ut loco citat. habetur, magis communiter, ac hodiè extra controversiam receptum est, ut cessante obstaculo imperfectionis voluntatis, etiam sola schedula sine testibus sufficiat, dueto argumento ab iis, quæ in iure disposita sunt per text. in Anth. inter liberos Cod. de testamen. Buratt. decr. 475. num. 1. decr. 150. par. 12. rec. (ubi de testamento militari) in testamento patris inter liberos, ex deducetis discr. 14. ideoque in hac specie casus est in jure indubitus, dum ad instar, id trahitur

DISCURSUS XXVI.

59

bitur ad alium similem testamenti ad pias causas, ut
d. dec. 475. *Bart.* & in aliis, de quibus d. disc. 14.

Hinc proinde (ut in eadem materia testamenti
ad pias causas habetur praeferita disc. 13. & 14.), om-
nes questiones in proposito, videntur potius facti,
seu applicationis, quam juris, quando scilicet defe-
ctus sit solum circa solemnitates à jure positivo in-
ductas, vel potius circa imperfectionem voluntatis,
ut primo casu dispositio valida sit, secus autem in
secundo.

Et consequenter, cum in hac facti specie, certa
de facto videretur veritas schedula, sola dubitandi
ratio cedebat super codem puncto, de quo supra
dicto disc. 14. an scilicet illa conjecta esset animo de-
terminato tunc testandi, adeò ut voluntas non esset
amplius ambulatoria, atque ut nostri dicunt in via,
sed esset determinata, ac potius in termino, quoties
dicta determinationis argumenta non accedant ex
ibi deducuntur.

Applicando autem ad rem; Verius videbatur, ut
versaremur in hac secunda parte voluntatis determi-
nata, atque ad terminum redacta; Tum quia ex-
presse, ac in verbis ita dicitur, unde propter ea recte
intrare videtur vulgaris regulæ *tex. in Lille aut ille ff.*
de leg. tertio, quod in claris, expressis non intrant
argumenta, & ambiguitates; Tum fortius ob sub-
sequuntam observantiam, cui nimium deferendum
est, cum receptum habeamus, ut illa attendenda ve-
niat, etiam ad fortiorē effectum præstanti fidem
scripturæ informi, & quæ de per se apta non esset
ad probandum testamentum validum, ac perfe-
ctum, ex iis, quæ ceteris relatis habentur plenè de-
ducta per *Rotam* decif. 346. par. ii. recen. & infra in
Bononiens. testamento de Cossiis disc. 66.

Observantia vero ex pluribus resultare videba-
tur; Primo scilicet ex ea circumstantia, quæ in facto
supponebatur, quod cum ex ventre prægnante se-
conde uxoris prodisset feminæ, cuius mater aliud
sibi gratum nomen illi imponere volebat, Nicolaus
frater se opposuit, atque voluit, ut apponetur (ut
appossum fuit), nomen Angelicæ, eo quia ita pater
in testamento ordinaverat; Secundo, quia dictus
Nicolaus masculus donec vixit, universum assem-
tanquam dominus posse dedit, ac administravit, atque
de illo dispositus, quod citra delictum ac usurpatio-
nem bonorum sororis pupillæ sub ejus educatione,
ac tutela viventis, sequi non potuisse, dum (posito
casu mortis patris ab intestato), in castris, ac bonis
existentibus extra districtum Urbis, cessabat ut su-
pra copulativa subjectio personarum, & bonorum,
& consequenter ad limites juris communis, æqualis
erat successio masculi, & feminæ; Ideoque intrat
propositio, de qua præserit *Bart.* & alii in l. gerit
ff. de acquir. hered. cum concord. per *Menoch.* lib. 4.
pref. 100. quod ubi dari potest causa licita possiden-
di, ad ilam potius, quam ad illicitam possesso refe-
renda est, & consequenter infertur ad additionem;
Et tertio fortiter ob identitatem summa lectorum
30. m. quam dictus Nicolaus moriens sorori pro-
dote reliquit eo modo, quo in dicta schedula con-
tinetur.

Et his accedere observabam alias dicta schedula
circumstantias determinatam voluntatem suaden-
tes, quod scilicet esset nitida, & cum anno, die, & loco;
Et quod magis, non solum subscriptione munera,
sed etiam septem impressionibus ejus consueti si-
gilli; Ideoque his omnibus simul junctis, cum con-
suetu regula, ut singula quæ non profun. &c. in ambi-
guis voluntatis questionibus perpetuo attendenda,
atque dicto presupposito casus videbatur planus;
Non tamen certum sac maturum judicium pro veri-

tate desuper efformari potuit, dum id absque dis-
putatione instruina sequi non potest, quoniam incer-
tum est quid in contrarium in facto deduci possit.

In codem tamen proposito testamenti inter libe-
ros, in plerisque aliis casibus, in quibus disputandi,
vel consulendi occasio dedit, pariter adhuc pun-
ctum perfectionis, vel imperfectionis voluntatis
questio reduci consuevit, præserit in una *Imolen.*
süber testamento cujusdam nobilis viri, qui schedu-
lam informem sua manu conscriptam in statu vali-
do, tradiderat cuidam religioso, ut in formam nitidam,
benèque ordinatam redigeret, ut sequutum
fuit, dictamque nitidam, ac benè ordinatam sche-
dulam, idem testator in scriorio reposuit, quodque
improviso morbo presus, mandavit eam extrahi, si-
bique afferri, eo quia volebat subscrivere, atque se-
cundum eam testari, verum subsequuta mors id im-
pediit; Unde propter ea orta fuit dubitatio, an ex his
resularet, valida, & perfecta dispositio; Atque de-
super pro veritate consultus in aliorum *Advocato-*
rum congressu ad hunc effectum habito.

Fui in voto, (cui alii pro majori parte adhæser-
unt), quod ubi in dicta schedula continerentur
soltan dispositiones inter ipsius testatoris filios, adeo ut ageretur de puris terminis testamenti inter libe-
ros, adhuc dubitari posset de perfectione voluntatis,
juxta magis communiter receptum *conf. 119. Oldrad.* ex iis, quæ habentur in proposito testamenti
ad pias causas supra disc. 13. dum alter actus perfici-
ens explicandus erat; Verum inevitabilis difficul-
tas ea coconstibat, quod de hoc non ageretur pro-
jure, ac iheresse filiorum, quorum respectu (data
æqualitate) idem erat quod pater testatus, vel inter-
status deceperisset; Sed erat in ordine ad subtilitatu-
res, ac fideicomissa ad favorem transversalium,
& consequenter extra liberos, quibus potius testa-
mentum prædicabat; Ideoque illud ad limites ju-
ris communis pro ipsius validitate utramque sole-
nitatis, ac voluntatis perfectionem desiderabat.

Idem enim testamentum inter liberos non subja-
cet solemnitatibus juris positivi, sed sola probatio
naturalis in eo sufficit, quoniam est potius distribu-
tio, quam dispositio, seu explicatio ejus quod à jure
dispositum est; Unde propter ea, ubi etiam absque
mixtura extrancorum, de solo jure liberorum age-
retur, si dispositio contineat inter ipsosmet liberos
notabilem inæqualitatem, adhuc istud privilegium
non intrat, juxta opinionem *Castr.* & *Salic.* ac alio-
rum in *Anib.* hoc inter liberos *Cod. de testam. Roman.*
conf. 385. num. 5. abi Add. Dec. conf. 105. num. 6. lib. 1.
Magdal. de num. test. &c. cap. 16. num. 49. Merlin.
de legit. lib. 5. tit. 2. quæst. 3. num. 12. Cap. Latr. consult.
132. num. 24. Thesaur. quæst. for lib. 4. quæst. 34. num. 3.
Rub. de testamen. cap. 52. num. 51. & seq. Ex ea clara,
& evidentiatione, quia dicta juris positivi solemn-
tates remissæ censentur ex præsumptione cessantis
fraudis in patre, qui æqualiter omnes filios diligere
præsumit, idemque ubi cessat dicta ratio, cessare
debet, & ipsa juris dispositio, nè alioquin aliqui ex
filii machinationem faciant in supplantationem
aliorum, quidquid immaturæ, una tantum parte in-
formante, dicatur per *Rot. decif. 79. num. 5. par. 11. re-*
cen. ubi allegantur *Surd. Giovagnon.* & *Gratian.* Igi-
tur multo magis, & extrâ controversiam, ubi in præ-
judicium omnium filiorum ad favorem extraneo-
rum, quorum nomine veniunt omnes, qui non sint
liberi; Et de ista materia inter liberos, habe-
tur etiam infra disc. 75.

ALBA.

De LUCA
Testamentis
et ceteris
GVI